

INITIO MENSUM INITIO MORBORUM,^{36.}

AUSPICE DEO PROPITIO

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosae Facultatis Medicae,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R A E S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJEST. REG. BORUSSIÆ AULICO ET CONSISTORII MAGDE-
BURG. CONSILIARIO, MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS

PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Praeceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQVE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS

HORIS LOCOQUE CONVENTIS,

ANNO MDCCXXV. D. JUNI.

PUBLICAR AC PLACIDA ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICET

AUCTOR ET RESPONDENS

SAMUEL GODOFREDUS SAHER,

MÜNCHBERGA-BARUTHINUS.



INITIO MENSIS
MAYI PRORUM
VIRO

NOBILISSIMO AC PRUDENTISSIMO,

DOMINO
GODOFREDO DANIELI
SAHERO,

CIVITATIS MUNCHBERGENSIS

CONSULI PRIMARIO,

ETC. ETC.

PARENTI SUO OPTIMO.

VIR

NOBILISSIME AC PRUDENTISSIME,

PARENTS OPTIME

Si qua æquum & verum est, quod ex rationis dictamine clarum & omnium prudentum suffragio stabilitum, liberalitati & beneficiis deberi gratitudinis si non semper condignum parilisve pretii *lenius*, attamen perpetuum qualitercumque compensandi studium ; pietati pariter contentaneum videtur, quo hoc officii genus erga parentes ab ingenuis liberis, qui illorum cura pie & honeste educati sunt, ita observetur, ut hi illis tanquam summis suis in-

ter mortales evergetis animum demerendi
studiosum intensissime non saltem voveant,
~~sed quoque~~, sicubi licuerit, quam fieri pot-
est luculenter comprobent atque exhibeant,
quo quidem gratitudinis vinculo dum hac
ratione continentur omnes liberi, qui saltem
sobria, licet cæteroquin plebeja, institutio-
ne fruiti sunt, eidem utique eo magis adstricti
apparent illi, quorum rationibus ultra vul-
garem methodum adhuc lautius prospicitur
peculiari paterna liberalitate & benevolentia.
Hæc cum non simplici vice apud me considerarem & TUAM, PARENTS COLENDIS-
SIME, operam, quam in rebus meis ador-
nandis plane singulari & indefesso studio
semper navasti, simul ad animum revocarem,
haud difficulter jam dudum, quantum TIBI
debeam, agnoscebam. Hinc semper occa-
sionis, qua mei officii rationem erga TE, si
non explore, tamen inire liceret, cupidissi-
mus tacito in me ipsum pudore & in iniquam
sortem indignatione saepius vertebar, quod
nondum illud exequi hactenus licuerit ea,
quam optabam, ratione. Interim hujus
spei diuturna frustratio adeo non defatiga-
vit animum ista, intendentis, ut potius ad in-
tensi-

tensius adimplendi propositi desiderium accenderet, quod quidem non incassum mili fuisse videbar, ex quo intellexi, publicæ luci eruditionis specimen a me esse exponendum, cum illico talis occasio satis commoda appareretimo decerneretur, qua non solum TIBI sed simul pluribus, quantum meum in TE sit observantiae studium, quadantenus posset declarari. Dum itaque hæc anticipata opportunitatis spes cum Deo & die demum eo usque in effectum deducta est, ut prædictum specimen in lucem prodire potuerit & debuerit, non dubitavi, taciti voti, quod illi superstruxeram, fidem publico nunc testimonio solvere TUOQVE, PARENTS OPTIME, charissimo nomini præsentem disputationem, tanquam monumentum grati animi, consecrare & inscribere, filiali fiducia fretus, fore, ut munusculum hocce quamvis TUIS in me meritis longe impar & admodum leve ac vile existat, pari tamen æstimatione minus accipiendum censeas. Fac igitur tantummodo, ut spem in TE collocatam confirmes & aliqua Tuæ approbationis criteria commonestres, quorum quidem sat luculentum & sufficiens erit illud

unicum, si amorem, quem haetenus erga
me fovisti, illibatum retinere in posterum
non dignaberis. Quod reliquum est, ar-
dentissimas preces pro TUA ET DUL-
CISSIMÆ CONJUGIS incolumitate &
longævitate fundo, faxit ille, ad quem di-
guntur pia vota, ut non in casum fiant, sed
cum larga benedictione in VOS redundant,
quo adhuc diu in VOBIS sospitibus & floren-
tibus mihi ac toti nostræ familiæ perpetua
gaudendi occasio relinquatur. Vale, & ul-
terius rebus favere & consulere perge

V I R

NOBILISSIME AC PRUDENTISSIME,
PARENS OPTIME

Dabam Hale Magd. d.

Junii 1725.

Obsequiosissimi Tui filii

A U C T O R I S.



PROOEMIUM.



Ctionum humanarum vix
ullam ita levis esse expeditionis
quin in expertis quantumcunque
difficultatis afferat primordialis
illius aggressio, adeo per vulgata
res est, ut illius non solum notitia
nobis a primis tyrocinii Schola-
stici annis decantato illo dictorio: *Omne principium gra-*
ve, instilletur, sed etiam veritas proprio exemplo jam
tum non obscure innescere incipiat. Confirmatio-
nem vero hujus afferit, quod vulgo de moralibus a-
etibus enunciari solet, non unice his esse superstructam
sed parili certitudine saltem non omnibus ita obvia
fundatam in vitalibus nostri corporis functionibus,
plures, qui in eodem in solito motuum modo ac appa-
ratu instrui debent actus nos non tam suspicari quam
potius vere credere jubent. Pluribus exemplis id
jam commonstrare hic loci non convenit, nec etiam
attinet, cum haec materia jam ab aliis satis dilucidata

pro-

prostet. Unicum ex multis specimen, quod inter reliqua eminens, evidens & frequens est, sistere placet in initiantibus menstrui negotii molimini bus, hæc enim utut operose interdum instituta quam ambigue & impeditæ plerumque succedant non tam mortua observationum monumenta, quam viva exemplorum documenta affatim declarant. Interim hujus initialis difficultatis ea quoad effetum disparitas conspicitur in prædictis discretis actibus moralibus nimis & viralibus, ut in illis præter aliqualem molestiam & fastidium quoddam animi vix quicquam eminentis periculi aut præsentis noxæ involvat, in his vero sensibilia incommoda & damna corpori non tam comminari quam actu sæpius cito inferre soleat, id quod de posterioribus in allegato exemplo primo parturientium mensium non obscurum esse potest ei, qui animadvertisit, quot virginum, quæ impuberes optima sanitate & amoenissimo genarum flore conspicuæ fuerant, sub iniquo illorum accessu & fluxu brevi temporis spatio utriusque tam insignem & difficulter parabilem jacturam patientur. Quæ cum ira sint, ut nimirum tantum momenti resideat in prima menstrui negotii instructione, eo magis utique necessarium videtur, quo diligentiore studio illi advertant & prospiciant omnes, qui curatores solertes & periti rectores muliebris valetudinis esse cupiunt, hoc vero vix condigne fieri poterit, nisi rationem, qua ista difficultas innititur & indolem difficiliorum moliminum menstrualium quoad processum & effectus suos paulo intimius perspectam habuerint, quæ sane notitia rite per-

percepta & applicata uti generatim in toto stadio mensium, ita in specie initiantum iisque connexorum morborum rationali scrutinio & fundamentali curatione omnem fere paginam absolvit. Hæc dum apud me expendebam & in virginalibus præcipue affectibus non exiguum multorum defectum ex commemo- ratæ animadversionis neglectu oriundum deprehen- debam non indigna videbatur ista materia, quæ pecu- liari tractatione excutiatur & commendetur hac oc- casione qua Inaugurali Disputationi thema medicum eligendum erat, confirmavit me in hac sententia D. D. Presidis plenaria approbatio, imo excitatio, quo mi- nus dubitarem proposito instituto insistere. Insisto itaque hac vice & negotium istud sub titulo: INITIUM MENSUM INITIUM MORBORUM in medi- um producere laborabo. Largiatur, qui hac in re vo- luntatem suppedidavit etiam vires eidem exequendæ necessarias, quo ita perficiam, ut nemini justam re- prehendendi occasionem, sed multis exoptatam insi- gnem utilitatem afferat præsens meus conatus.

§. I.

Incurius nimium imo injurius in salubritatem mulie- bris fluxus in dissertationis inscriptione multis procul dubio videbor, quando terminum morborum, a qui- bus tamen generatim nulla ætas hominum immunis existit, saltem in incipientis pubertatis periodo & qui- dem in tali causa collocatum perficiant, quæ plane con- traria ratione in sanitate tuenda & restauranda efficacissima non tantum ab omnibus medicis prædicatur, sed etiam sepi- us

us in ipsa experientia deprehenditur. Verum ne in erronea hac opinione & in titulo quicquam dubii relinquare, placet illius sensum succincta explicatione statim in limine dilucidare & remota aliena, quæ forsitan ex eo eliciti posset, interpretatione, genuinam, quam intelligo, indicare & exponere.

§. II.

Ita mox circa ejus prædicatum moneo, illud a me neutriquam ita simplici & generico significatu accipi, quasi omnes foemelle tunc denum morbis subjiciantur, quando menstruum fluxum experiri incipiunt, dum satis conscius quod ipsarum ætas antecedens & que ac in sexu virili multis iisque sëpe satis fonticis affectibus pateat.

§. III.

Deinde, quod subiectum concernit, tunc iterum non ita promiscue & indiscretim omnem mensium ortum protam ominoso declaro, ut fibi semper habeat conjunctum morborum proventum, utpote etiam hac in parte me non fugit, quod multæ virgines hujus negotii auspicia non solum citra insignia incommoda & valetudinis offensionem, sed etiam interdum plane cum euphoria & præcedentium pathematum levamine superent.

§. IV.

Sed mihi in titulo, quem dissertationi meæ præfixi, unice sermo est de initiantium mensium *anomalo & præter naturali statu*, quatenus illi variis modis vel diuturniore emansione & difficiliore eruptione, vel inconveniente quoad quantitatatem aut qualitatem evacuatione, irregulari continuatione, plusve minus cito subsequente plenaria retentio ne varios heteroclitos motus & mörbidos effectus in oeconomicam vitalem (imo multoties quoque animum) inducere, diu sustentare & multiplici sub schemate in posteram ætatem sepus transferre solent. Et secundum hanc explanationem imecum constitui tales menstruales morbos in præ-

(II)

præsenti tractatione specialius considerare & evolvere, tali quidem ordine, ut primo præmissis singularibus singulorum temperamentorum circumstantiis atque respectibus, quos juxta diversam motuum & corporum constitutionem involvunt, exinde cuilibet magis proprios affectus eruam. deinde damna, quæ ex hujus notitiae neglectu & defectu in praxi observantur, indicem & demum rationem ac methodum, qua ista commode præoccupari & tempestive emendi possint, commonstrem.

§. V.

Antequam vero ad has considerationes progrediar placet cum præsens disputatio in primis versetur circa mensium initium de hoc etiam paucis meam declarare sententiam & saltem de nota Hippocratis observatione, decimo quarto ætatis anno terminum mensium primordialem assignante hoc monere, quod illi quidem in tantum subscribam in quantum pluribus exemplis suam veritatem etiam hodienum comprobat, interim tamen non ita plenario assensu suffrager, quasi nullam exceptionem pateretur, cum haud rara testima mensium citius vel tardius citra sanitatis offensionem erumpentium fuggerant fide digni observatores, quorum inter plures unicum *Simonem Schultzum* allegant sufficiat, qui dicit, notæ sunt nobis puellæ sanae, vegetæ & robustæ, apud quas vix 17. 18. 19mo 20mo ætatis anno fluxus ille inchoavit. *Conf. Ephemer. N. C. anno 1672. obs. 161. pag. 234.* Judicamus itaque, quod pro varia subjectorum activitate differente viciarum excretionum affuetudine & successu diversa assumptorum ratione & in primis motus potus que discreta conditione maturius vel serius eruptio mensium in fœmellis contingere possit. Interim horum diuturnior emansio, quæ vel spissioris vel qualitercumque depravati sanguinis vitium conjunctum habet, suspicione non caret, dum experientia satis compertum est, talismodi cun-

Stationem vix unquam aliquid boni utero ejusque evacuationi ominari.

§. VI.

Quando itaque nunc animus est, ipsum negotium præ-definita methodo pertexere & secundum illam primo eruendi & excutiendi veniunt morbidi effectus seu affectus ex initiantium mensium difficilioribus moliminiibus oriundi, prout illi seorsim cuilibet temperamento magis proprii existunt, tunc merito attentionis circa verba: *magis proprii* adhibendæ benevolum lectorum admoneo, ne forsan essentialē differentiam subintelligat, quasi *omnes* ejusmodi morbos menstruales juxta temperamentorum diversitatem pro toto genere aut ipsa specie discretis haberem, quæ mens mihi haud est, (optime nimirum intelligens generalem temperamentorum identitatem, quam ratione structuræ corporis in universum & intuitu causæ materialis objectivæ nimirum redundantis humorum abundantia in prædicto mensium statu speciatim, communem habent, in isto etiam multos comparē producere effectus e.g. torminosarum strictrarum in abdomen, tractionum per dorsum, pressorii & gravativi doloris in lumbari & inginali regione, capititis doloris, lassitudinis artuum, alvi irregularitatum, appetitus imminutio[n]is, vitiatæ digestionis &c. imo pluribus communes involvere eventus, cacheoticos, hypochondriaco hystericos, atrophicos, heæticos, phthicos, cœdematosos, hydropicos & similes) aut tantummodo tales strictriori sensu peculiares affectus explicare intenderem, quod iterum a meo proposito alienum, dum illi terminis saltem denotare lubet illam prævalentem dispositionem seu prærogativam, quo temperamentum aliquod præ altero his vel illis morbis frequentius, citius & magis ordinarie obnoxium deprehenditur.

§. VII.

His præmissis prosequor demum propositum scopum
&

& ita considerationi primo subjicio *Temperamentum Phlegmaticum*, quod utique ob eminentiorem suam inhabilitatem, quam in mensium instructione declarat, primatum meretur. Hujus enim conformatio corporalis & inertior ac segnior motuum indoles ut generatim hæmorrhagiis legitime instruendis minus adaptata comparet, ita potissimum mala hæc prædispositio luculenter conspicitur in earum principalissima specie, nimirum uterina, tam circa illius inchoationem seu primam molitionem, quæ plerumque admodum tarda, (dum sepius imo ferme ordinarie usque ad 16, 17, 18mum ætatis annum differtur) quam in ejusdem prosecutione, quæ pariter segnior, multis difficultatibus præpedita & efficaci successu diu destituta esse solet. Hinc præ reliquis huic constitutioni familiare est, ut frequentius jam diu ante actualem mensium eruptionem multis morbi- dis afflictionibus infestetur & quidem ferme plane iisdem, quæ alias illi in horum suppressione familiares existunt, inter quos præ cæteris magis vulgaribus proximo ḥo indicatis præcipue commemorari merentur catharrales affectus quibus juxta genericam suam constitutionem corporis spongiosioris & humorum aquosiorum hoc temperamentum speciatim sub menstrualibus difficultatibus in juniore ætate peculiari proclivitate expositum deprehenditur, hinc fœmellis isti addiciti non infrequenter demum sub appropinquantem pubertatis terminum ejusmodi mucido-ferosi decubitus humorum & consimiles excretiones inprimis in capite obtingunt, quales in aliis diu stabulari & continuare, in aliis vero per supervenientes diarrhoeas aut tempestivam & congruam mensium eruptionem plus minus cito immuni ac abولي solent. Præterea intuitu prædicti corporalis habitus nostræ considerationis fœmellaæ citius cacochymicum statum ex talibus mensium tardiorum & difficiliorum ataxiis reportant celeriorogradu in his subiectis inachepticum transeuntem, cuius plerumque prodromi ac co-

mites reprehenduntur inflationes abdominis & pedum, in his posterioribus suspectos illos & molestos œdematosos tumores constituentes, qui sepe sua recessione vel retroupulsionem sontica damna in interioribus nobilioribus partibus corporis repente excitant. Optime vero jam suo tempore hanc posteriorem observationem cognitam habuit *Hippocrates*, quam declarat in *Epid. 6. Sect. 1.* ubi dicit, quod mulieres aquosæ (phlegmaticæ) si ipsis menses non celeriter prodeant, tumoribus conflixentur & infestentur. Cæterum, uti phlegmaticæ constitutionis non solum corporibus physico, sed etiam animis morali sensu major molitiae insidet, ita hoc posteriori respectu vix alia (nisi forte sanguinea fuerit) illi comparem propensionem ad nauseabunda molimina & animi defectiones sovet. Notatu autem digna est illa circumstantia in commemoratis affectibus, quod non indiscretim *omni tempore* ad minimum non pari vigore afflignant, sed quod invasione vel exacerbatione sua potissimum sequantur illam periodum, quæ alias mensibus solennis est, haud obscure hoc ipso declarantes illam affinitatem & arctiorem connexionem, quæ ipsis cum his intercedit. Talibus itaque pathematibus præcipue phlegmaticæ fœmelæ familiarius divexari & detineri solent sub nudis mensium primo parturientium moliminibus ante actualem ipsorum eruptionem, quæ si demum obtingat, spem quidem melioris & mitioris status exinde capessunt mulierculæ sed rarius ita fidam, quin plerumque eventus contrarium edocet. Dum enim ejusmodi diutius retenta & agitata evacuatio ordinarie ita comparata est, ut minus liberi & legitimi successus criteria exhibeat, sed solennius in ipsa excretorum humorum qualitate & quantitate eximum defectum declareret, fit inde plerumque, ut non solum nihil levannis, sed potius exacerbationem præcedentium pathematum involvat & potissimum inquietudines in abdomine & sensum circa ingvina insiquiter exasperet, imo cum vix unquam

quam solenniem menstruam periodum observare soleat anomala talis excretio, sed admodum inordinato ac inconstante typo procedat eo crebriores etiam turbæ familiarius cooruntur intermedio fluxus tempore, quo alias motuum auctiorum aliquales inducet observantur, ut inde ferme continuo ejusmodi miseræ juvenculæ morbosum corpus circumferre debeat. Accedit interdum his calamitatibus suspectus & odiosus ille fluor albus prædicto temperamento præ reliquis infensus sub talibus diuturnis menstrualibus ataxiis, qui nonnunquam diu continuare & mensium anomalicum statim eo magis confirmare solet. Hæc singula itaque pathemata, quæ hactenus commemoravi, cum admodum contumaci cause innitantur, communiter diutius insistunt & nisi quandoque matrimonium & puerperia medelam tempestive adferant, sèpius cladem suam in omnem reliquam ætatem protendunt cum perpetua foecunditatis & sanitatis privatione, donec demum citius vel tardius in multis invalescentes tumores vel in nonnullis plane hydrops superveniens finem calamitosæ vitæ accelerant.

§. VIII.

Postquam itaque nunc primum specimen nostræ tractationis præcedenti §pho exhibui in temperamento phlegmatico, placet nunc secundum sifere in *Melancholico*, tanquam illi priori in menstruo negotio tam quoad inchoauditarditatem, quam erumpendi difficultatem simillimo. Possidet enim pariter talem corporalem habitum, qui eb spissorum humorum consistentiam & fibro-musculosarum actuничacearum partium densiorem structuram facilius & expeditis sanguinis spontaneis evacuationibus minus accommodatus est, sed moliminibus haemorrhagicis diuturnis præ reliquis favet, quæ sèpius non solum multa commoda & pathemata, sed plane eximia damna impediore suo successu involvere solent in mensum, si qua in alia sanguinea difficiliori eluctatione perquam conspicua. Prout autem evidens

Dens disparitas hujus temperamenti a præcedente appareat in valore motus, qui in præsenti ob minorem humorum fluiditatem non solum debet, & ob firmorem partium texturam potest, sed etiam solet intensius exerceri; ita quoque hæc differentia eo dilucidius dispalescit in prædicta mensis um difficiliore perruptione ex pathematis illam stipare solitis, quæ ita comparata communiter esse solent, ut de majore impulsus vigore testentur. Sic enim subjecta, de quibus nunc sermo est, sub commemorato statu citius & exquisitus percipiunt illos circa uterum ejusque confinia infistentes conatus & connisus eluctatorios dolorifice tensivum & pressivum sensum inferentes cum præcurrentibus & concurrentibus per reliquum abdomen oberrantibus spasmis conjunctum, qui posteriores eo magis exacuantur, si humores exitum affectatum non invenientes paulo latiores restagnations formare & magis versus epigastricam regionem compelli incipiunt, ubi insimul tam in hypochondriis stricturæ & pressiones, quam in præcordiis angustationes, nec non cordis palpitationes citius increbescere & ingravescere solent, quæ quidem pathemata non parum communiter exasperat consueta huic temperamento alvi segnities & adstrictio ordinarie in talibus ataxiis menstrualibus contumacior ac ob fortiores sanguinis repressiones eo periculosior. Sub isto vero turbulentio corporis statu ipse animus ægritudine non vacat, sed satis eminentibus alterationibus familiariter subjicitur, quæ potissimum in majore ejusdem angore, meticuloſa ſollicitudine & triftitia conſiſtunt ac ejusmodi patientes non ſolum ſub vigiliis ſed plerumque etiam nocturno tempore terrificis insomniis admodum inquietant, imo nonnunquam plane in actualem mentis aberrationem melancholicam degenerant, ita ut tales ſtemellæ illa suppliciorum, incarcerationis, insidiarum pericula ipsis antea per ſomnium præfigurata & magis ſalem analogico seu typico conceptu juxta præſentem internam corporis con-

constitutionem efformata, nunc ex firmiore impressione
revera sibi extrinsecus imminere & ab aliis ipsis intentari
perversa phantasia existimant eaque de causa aliorum col-
loquia & consortia intense effugiant ac aversentur solitum
quasi quoddam suarum calamitatum in solitudine & libera
cogitationibus indulgendi facultate reponentes cum insi-
gni sui status, si ipsis concedatur, confirmatione ac dete-
rioratione. Quam graves autem & soncici existunt com-
memorati isti effectus cum mensibus laboriosius parturien-
tibus in melancholici temperamenti virginibus exsurgentes,
longe tamen acerbiores & numerosiores observan-
tur, si commixtio cholERICA concurrat, que non solum
motus eminentius incitare & rigorosius urgere sed etiam
ciuius eosdem cum humoribus in alia loca remota trans-
ferre solet, ut inde & in capite vehementiores dolores,
in pectori majores oppletiones & angustiae quam in hypo-
chondriis spasticæ contentiones sensibiliores maturius
complicentur & pervicacius continentur cum eximio
plerumque præjudicio legitimorum motuum menstrualium,
quibus hoc ipso eo certius anomaliarum augmentum
& maius impedimentum affertur. Tot itaque actantarum
afflictionum genetrices non solum possunt sed saepe etiam
solent existere melancholici habitus juvenilis menses
diutius tergiversantes, antequam ulla illorum evacuatio
aut ipsius fluxus emicatio comparet, qui si demum conse-
quitur & libere ac ordinate progreditur efficacissimum u-
tique remedium in præcedentibus pathematibus mitigan-
dis & aboliendis deprehenditur. Verum cum rarissime
optabili tali expedita ratione hujusmodi excretio diutius
agitata & laboriosius extrusa contingat, accidit pariter sae-
pius, ut in tali statu salutaris ejus effectus vel nullus aut e-
xiguus insequatur vel ad minimum diu remoretur aut pla-
ne in antecedentium turbarum confirmationem & aug-
mentationem invertatur. Quid, quod non rarum est, ut

C

com-

commemoratorum malorum cohors demum cum ipso anno
 malo uterino fluxu primo invehatur & pari ejusdem suc-
 cессu in prædictos periculosis effectus progressu temporis
 devolvatur, citra quam quod illius eruptionem ita emi-
 nentes alterationes in corpore præcesserint. Interim in
 hoc temperamento, uti in aliis eo deterius præsgium
 præbent molimina ejusmodi menstrualia evacuationem
 multum anticipantia, si hujus supervenientis parciore suc-
 cессu ipsis minus satisfiat, dum tunc eo certius & citius ex-
 ardescere ac in majorem irregularitatem & contumaciam
 tranfire solent, quo non modo sub fiente fluxu sed etiam
 post eundem eminentiores turbæ ingruant ac ingravescant
 potissimum in abdomine sœvientes, ubi accrescentem hu-
 morum coacervationem & difficiliorem progressum oblu-
 stantes elisorii & discursiorii motus communiter subinde
 laboriosius prosequuntur etiam menstrua periodi intercalari
 tempore non prorsus conquiescentes sed itidem per
 vices sœpe acriter insultantes, sub quibus præter illos spa-
 sticos dolores in abdomine vagos speciatim gravativum
 sensum regioni hypogastricæ incumbentem in primis præ-
 sentis constitutionis fæmelle experiri solent. Et in ho-
 rum non minus quam supra indicatorum pathematum
 comitatu sœpe per plures periodos excretio mensium ir-
 regularis & insufficiens progreditur, qualis si vel nullus vel
 minus constans insequatur, crucem communiter majorem
 non minus figere quam periculum gravius comminari so-
 lent postero tempore afflictiones sub hypochondriis inva-
 lidentes, ut nimirum copiosius ibidem coacervati humo-
 res potissimum per hepar difficilius progredientes & magis
 versus lienem & ventriculum connitentes longe mo-
 lestius hæc viscera aggravent, turbas circa ista & per reli-
 quam V. P. sistema eminentiores provocent infarctus faci-
 lius constituant, anxias præcordiorum inflationes frequen-
 tius inducant & ita motus eo magis ab utero avocent, quo
 ille

ille sub ejusmodi ataxiis in officio & negotio debitæ excretionis sanguineæ insigniter langueat, eo inordinatus procedat vel plane deficiat, quæ omnia, quo diutius sibi relinquentur, eo efficacius ad perniciosos effectus hypochondriaco-hystericos, scirrhosos, imo plane hecticos accelerandos cooperari solent. Sufficiant hæc de Temperamento Melancholico.

§. IX.

Transitum nunc facio ad *Sanguineum*, quod, licet juxta solennem suam majorem activitatem negotium uterinæ evacuationis præ prioribus ordinarie maturius moliri incipiat & frequentius faciliori opera obtinere soleat, varios tamen pariter respectus sovet liberae tali perruptioni intercipiendæ aptos, quorum alii magis materiam, alii strictius motum concernunt, ubi quoad prius luxurians humorum proventus spissitudini contrahendæ accommodatior nec non minor vasorum capacitas, quoad posterius vero pertinacior anotericarum evacuationum adsuetudo & reliqua ipsius indeoles animi in rebus quantillum operosæ expeditionis & dubii successus facilius fluctuantis & despondentis præ ceteris in considerationem veniunt, cum iisdem non solum præcipuarum causarum internarum, quæ proprius in hoc temperamento ad anomalicum mensium ortum & succellum contribuere solent, sed etiam ipsorum patiematum ex talibus ataxiis provenientium fundamentum maxima ex parte innitatur. Interim quod vitia motuum aversoria in hoc negotio attinet, sunt illa duplicitis generis, alia a priori talia ubi nuda habitualis aliarum hæmorrhagiarum promptitudo & continuatio subest & nulla ab usitata excretoriæ regione declinatio appetet, alia magis a posteriori seu consecutive, ad quæ paulo evidenter causæ materiales disponunt ut quidem molimina uterina eminus in abdomine tententur sed ob minorē viarum & humorum aptitudinem promptam eluctationem eludentem facilius alior-

C 2

sum

sum dirigantur. Intercedit vero inter utramque talem congectionem adhuc illa differentia, quod illa, quæ quasi noviter introducitur, plerumque pluribus difficultatibus & turbis tam in abdomine quam capite stipata esse soleat, cum contrario ea quæ saltē in firmiore inhæstione & tenaci prosecutione præcedentium ventilationum spontanearum fundatur, sīn alias tales paulo expeditius succedant, citra ullum strepitum & alieni effectus indicium sāpe diu persistat. Prout autem tota horum congestorio-evacuatorum motuum salubritas, quam in præsenti afferunt, in primis posita est in liberi successus facilitate & facultate, ita eandem offensam vel quadantenus interceptam eo pejores effectus sāpius excipere solent in primis caput tanquam solennissimum juniori ætati hæmorrhagicum locum male mulcantibus, quo in illo acerbi dolores astuantes, pulsatiles lancinantes inflatiivi, tensivi & alijs generis oboriantur & facilius alijs effectus particulares e.g. ophthalmici, otalgici, odontalgici & glandularum infarctus aut inflammations complicentur vel sub majore molimum pervicacia plane per aliena loca incongruæ sanguinis eruptiones insequantur, uti ejusmodi hæmorrhagiam per foraminulum juxta nares ex simili causa in virgine factam exhibet historia illius casus, quem *Celeb. Stahlius in Disp. de motibus sanguinis a crassi & viis non pendentibus* recensuit & passim ab aliis auctoribus (quales varii indicantur a *Franckenau in Satyra 15. §.59.*) parallelæ observationes commemorantur. Præterea in genere tales evacuationum & molimum a-notericorum diversiones familiarius id incommodi & danni post se trahere solent, ut si qua etiam interdum aliqualis motuum descensio in abdominalē regionem contingat & contentio quantillum major ad uterum recludendum appareat, illa tamen minus firmiter insistat sed facilius iterum ad pristinas antea consuetas regiones nisi planarie tamen magna ex parte revertatur, quo ipso quidem generalia

ralia symptomata mensibus difficilioribus solennia e.g. spastica commotiones in abdomen, pares tractiones in lumbis & per spinam dorsi, anxietates praecordiales, cardialgiae, cephalalgiae &c. saepius induci solent sed plerumque cum admodum signi perruptionis effectu, ita, ut non numquam obseretur, quomodo ejusmodi incompletæ molimina menstrualium fluctuationes cum supernis congettationibus colludentes non saltem per menstrua sed plane annua spatia continent, antequam illum paulo intensius urgeant vel obtineant. Imo multoties tales tergiversantes menstruales motus sub diurna eluctationis frustratione adeo perturbantur, ut non tam amplius unam vel alteram tantummodo partem occupent & affligant, quam magis universalem cladem per totum corpus omnesque ejusdem regiones exerceant sub schemate admodum variabili motuum hoc illuc desultantium, qui quasi catervatim varii generis afflictiones excitant & praecedentes aut praesentes plerumque sensibiliter exasperant, quo inde in interioribus partibus praeter dolorificas illas compressorias, constrictorias, introrsum retractorias passiones circa umbilicum, terminosque viscerum volutationes & molestas inflationes, nunc quoque nauseabunda ventriculi commotiones, anxie ructuum elisiones, singultuosæ diaphragmatis concussionses extremæ pectoris anxietates periculose respiratio- nis sufflaminationes, capitidis suspecta vertiginosæ perturbationes vel intensiores exastinationes aut alias sensatio- nis afflictiones urgeant ac insistant, in exterioribus vero membris nimirum artibus eorumque potissimum extremitatibus Spastica stricturæ (sæpe in contracturas vel paralyses excurrentes) vexas ac cruciatus inferant, imo demum in ipsa peripheria corporis superficiali varia toni alterati- ones & cum ipsis conjunctæ alternationes horripilatio- num ac phlogosæ occurrant. Quæ quidem pathema- ta omnia jam enarrata partim conjunctim & οὐχεῖναι con-

surgere ac sanguire solent, partim inter se reciprocare plerumque vero sub menstruis recursibus majorem vehementiam declarare. Quin vero interdum potissimum in hac constitutione accidit, ut ejusmodi contentiosa molimina diu frustra adhibita eo usque intendantur, ut plane in convulsiones erumpant variaeque earum species afflcta talium subjectorum corpora miserandum & mirandum in modum contorqueant, quales casus vid. in ante citata *Stahliana Disputatione de motibus sanguinis a crassi & viis non pendebus* §. 6. nec non in *D. D. Praesidis Jurisprudentia medica Part. II. Casu 48. pag. 494. seqq.* & in ejusdem Disp. de anomaliis mensium convulsivis pag. 21. & 33. in qua posteriore potissimum haec materia specialius discussa & pluribus utilibus non minus quam curiosis considerationibus adornata extat. Observationis vero magis rarioris est, quod virgines sub ejusmodi menstrualibus turbis aut ex iisdem majorem ad venerem stimulum experiantur seu plane in insaniam a-matoriam prolabantur, (licet tale exemplum de puella 15. annorum ex eadem causa furorem uterinum incurrent re- censeatur in *Bartholini Ad. Haffn. aa. 71. & 72. obs. 80.*) cum potius in plurimis ita affectis plane contraria, ab omni voluptate & hilaritate alienior animi indoles animadvertisatur. Ceterum praedictae morbidæ jectigationes si in alio sane in hoc temperamento subitaneam mutationem inducunt, ut non solum vires cito collabescere, sed etiam chlorotica illa faciei decoloratio mature invalescere & totus reliquus prægressæ vitalitatis ac vivacitatis status brevi eminenter immutari soleat.

§. X.

Tantum de statu morbo mensium anomalicorum eruptionem primordialem præcurrrente, nunc quoque de illo hanc factam sub ipso fluxu initiali concomitante (antequam ad subsequentis contemplationem progredior) non nulla interserere placet, quam quidem considerationem potissi-

potissimum ideo huic temperamento reservavi, cum illud conspectum & complexum patheimatum, quæ tali tempore oboriri, & vix aliam quam gradualem differentiam in diversæ constitutionis subiectis habere solent inter reliqua luculenter & frequenter exhibeat. Sunt vero illa maxima ex parte plane cum præcedentibus eadem plerumque tam illis quoad vehementiam acerbiora. Eminent interim præ cæteris impetuosiore illi insultus spastici in abdome speciatim uterum noviter vulneratum graviter ferentes & per reliquam regionem hypogastricam admodum sensibiles cruciatus strictiores, tenfivos, pungentes inferentes, quales rigorosi motus excussori sub impeditione evacuationis successu facilius ad superiora loca per vices de-sultare eaque acerbe exagitare solent, ut inde intensissimæ cardialgæ & pectorales angustiæ vel acutissimi capitis dolores corripiant, quibus plerumque accedunt vel intercurrunt frequentes periphericæ restrictionis variationes & magnæ inæqualitates, ut modo pallor & frigus, modo rubor ac æstus scse in superficie corporis manifestent. Præterea sub præsenti fluxus difficilioris statu & termino animus juvencularum non tam impatientior, sed longe etiam impotentior seu imbecillor ordinarie observatur, ita, ut respectu prioris semper quasi tacitam indignationem fovent & majorem aversionem in omnibus suis actionibus & gestibus declarent ac levissimam offensionem sensibilius tam in vitalibus quam mœralibus arripiant, intuitu vero posterioris citius & facilius deficiant atque ad lipothymicas motuum desertiones proniorem indolem exhibeant. Imprimis vero intra hujus, de qua nunc loquor, periodi spatium singularis ventriculi sensibilitas & prolixitas ad conatus vomibundos præsto esse solet, quæ levi diætæ excessu & errore facile in effectum deducitur & gravissimis cardialgiis excitandis ac motibus menstrualibus divertendis frequentius pessimam occasionem suppeditat. Quod ipsum deni-

denique fluxum attinet, jam in superiorum temperamentorum disquisitione generatim monitum est, illum sub ejusmodi motuum ataxiis solenniter tam quoad typum, quam quoad excretorum humorum quantitatem & qualitatem ab ordine & statu naturali declinare, id quod ut paulo clarius exprimam, sic sepe habet, quod evacuatio talis (speciali sensu sumpta) neque in particularibus suis successibus neque in toto durationis complexu ac processu parum vel plane nihil constantis & æqualis ostendere, sed per quam abrupte & interrupte procedere soleat, ita, ut effluxio sanguinis modo repetitis quidem vicibus emicet, sed post levem & brevem exstillationem factam illico iterum disperreat, modo per unum vel alterum diem tantummodo continuet, vel plane interdum per integros dies intercedentes & postea inopinatos recursus faciat, singulis vero istis respectibus familiariter evidentem defectum involvat & conjunctum habeat, quo sanguis non modo parior, sed etiam ipsa qualitate alteratus spissior, grumosus, nigricans aut nonnunquam aquosior & discolor excernatur.

§. XI.

Sin itaque commemorata ratione negotium menstruum jam in prima sua molitione ac inchoatione tantas turbas cieat, eo certius & solennius evenit, ut illas quoque postero tempore in continuatione foveat atque ostendat, idque tanto citius & eminentius, quanto segnior ac parior fuit evacuationis successus, in qua circumstantia non solum continuus langor remanere, tormentosæ vexæ & alvi irregularitates persistere, sed etiam ipse fluxus tam in recurso quam reliquo suo successu varias & sepe diurnas anomalias sibi conjunctas plerumque habere assolet, quo nimirum menstruam periodum vel anticipet, vel transcedat, aut (quod tamen rarius ita cito contingit) plane prætermittat & de reliquo sub fientis evacuationis termino virtutia

vitia præcedente paragrapho exposita facile asservet. In quibus autem uterus in dimittendis humoribus quantillum facilior existit, tranquilliores quidem statum vulgo experiuntur raro tamen ita in tantum pacatum, quin ad minimum circa consequentes menstruas periodos quædam prægressarum turbarum palindromen sistant & terminum excretionis anomalizantis non modo præsentem sed sæpius etiam instantem & proxime insequentem aliquandiu culposum ac morbosum constituant. Quæ quidem considerationes non unice hoc temperamentum sed etiam reliqua concernunt, in primis vero in illo eo diligentius animadverti debent, quo frequentius in eodem occurunt & quo majora damna ex illarum neglegitu non tam solum possunt, quam etiam sæpius solent oboriri. Interim ut paucus & specialius contemplationi nostræ constitutionis inhæream, venit utique illico, dum adhuc ea circa explicandum statum mensium noviter obortorum, propriæ versatur annotanda illa circumstantia parcioris vel imminutioris evacuationis, quæ sane juvenculis eminenter sanguineis familiarissima est & in eo consistit, quod multæ earum corpus exquisite vegetum ad periodum initialem mensium adferant, eosdem solennissimo termino sine ullis effatu dignis incommodis præcurrentibus imo etiam non ita eminentibus difficultatibus concurrentibus, preterea quoad recursum satis ordinatos experiantur, insimul interjecto fluxus tempore licet non semper ad stateram pristinæ sanitatis, attamen etiam non adeo male sese habeant & in tali tolerabiliori statu per unum & alterum mensem imo interdum diutius de ulteriori periculo securæ degant, donec denum morbosa illa menstrualia phænomena paragrapto X. delineata paulo evidenter & successu temporis, si ægyptantes patientis vel negligentius ac quiescant, ominosa incrementa capiant. Quemadmodum autem illa pariter anotericarum congestionum vitio inni-

D

tuntur

tuntur; ita in primis eo majori non tam admiratione, quam animadversione dignum illud est, quod sub ejusmodi motuum diversionibus & distractione nihilominus uterus (nisi causa aliena eminentior intercedat) satis regulari periodo licet non aequae sufficiente quantitate saepius lunare tributum expendat, quo multe foeminae decipiuntur, ut in ejusmodi virginalibus affectibus uterum plane innocentem declarent ideoque saepè coram medico vitium menstruæ purgationis accusante vel suspicante ejusdem quasi causam solennibus illis formulis agere soleant: Es hätte hierinnen keine Noth, wäre in diesem Stück kein Fehler vorhanden müsse an einer andern Ursach gelegen seyn, cum tamen revera multoties, si excretorum humorum quantitas juxta reliquum corporalem habitum exactius aestimetur, defectus eximius subdit & in eo primaria ac unica causa omnis mali radicetur. Quo circa istam subdolam mensium parciorum indolem hac occasione eo attentiori considerationi merito commendo, quo frequentius illa in horum non solum initio sed etiam reliquo stadio occurtere & quo minus a pluribus etiam hodienum animadverti solet. Præterea vero utique etiam post factam perruptionem valet de ejusmodi heteroclitis motibus superiora loca occupantibus quod supra de eorum pertinaci indole, quam interdum ante illum ostendunt, monitum fuit, dum non rarum est, quod illi per integros annos eosque nonnunquam plures continentur hac tamen differentia, ut in aliis magis saltem caput detinere, in aliis vero citius ad pectoralem regionem declinare soleant, ubi circa priores nimirum cephalicas congettiones illud memorabile est, quod illæ sub diurna continuatione & contentione plerumque non uniformem typum asservent sed saepè illum multisfariam immutatum exhibeant, solennissime quidem talen in modum, ut vim antea magis per integrum caput diffusam subinde saltem in certas ejusdem regiones & partes e. g. dimidium caput

caput, nucham, verticem vel etiam maxillas restringant easque eo sensibilis afficiant, imo interdum ab uno loco in alterum transmigrent & sic diverso tempore diversi comatus & nominis affectus efforment, qualium metafchematum varias species in uno subjecto nimurum in virgine sanguineo phlegmatici temperamenti mihi ipsimet observare licuit, in qua talia molimina ab inauspicato mensium initiantum tempore per sexennium in capite persistebant & sequentem scenam & pathematum faciem subinde inducebant, ut primis mensibus nuda sanguinea cephalalgia affligeret posthac in cephalam traniens, hanc post feme-
strem circiter circuitum quadriennis hemicrania non tam in exquisite menstruum quam solitariam recursum observans exciperet, in istius locum deformis capitis in primis faciei inflatio pari tempore succederet & hujus demum stationem & periodum immanis odontalgia occuparet. Ex quo unico specimine facile tam ratio & fundamentum aliorum congenerum larvatorum effectuum seu affectuum, quos anomali ejusmodi motus in capite producere solent, intelligi, quam veritas illius, quod de contumacia talium con-
gestionum & fluxus sub illis continuantis fallacia superius monui, eque satis diluendo inclarefcere poterit. Hinc etiam nolo plures observationes parallelas, licet suppetant, hic loci allegare sed lubet potius nunc aliud phænomenon & momentum annotare, quod sèpius in talibus anotericis conge-
storiis motibus occurrit & perinde, si recte attendatur & applicetur, non infimæ utilitatis in praxi existit. Conficit vero hoc in peculiari illa Syzygia, quam prædicti motus superni & uterina molimina non solum in synchroño recurru (præsertim ab initio) sed etiam sèpe in mutuo concursu exhibere & sequenti ratione manifestare solent, ut sepe interdum quasi aliquatenus conjungant ac adunata vi modo versus caput modo in loca inferiora utero proximiora convolent & ita cladem alternam in utraque regione mu-

tuis vicibus exerceant, qualium reciprocationum jam aliquot exempla mihi ipsi innotuere, quorum recentissimum exhibuit junior sc̄emina sanguineo-cholerico temperamento addicta, quæ ex diuturnis mensium immunitorum attacxiis s̄c̄pius vehementer capitis dolore laborabat demum in parotidis simifistre inflammationem excurrente, quæ posterior cum spasticis illis motibus circa mensium terminum per femur ejusdem lateris contentiosis tam exacte colludebat, ut horum exacerbationem illius mitigatio in sensibili detumescientia remissionem vero ejusdem dolorifica augmentatio quasi e momento exciperet, sat evidenti testimonio, non esse a veritate alienum, quod *Illustris Stahlius in Disp. de mensium insolitis viis de talibus motuum uterinorum aberrationibus ad superiora loca eorumque inconstante typo scribit: quod natura licet viam (nimirum ad uterum proprius spectante) non ipso effectu penitus & absolute mutet, inter utramque tamen (scilicet uterinam & supernam cephalicam) ita anceps fluat ut neutrī satisficiat eamque penitus in effectum deducat atque exequatur.* In quibus autem tales humorum translationes magis ad pectus corrungunt, sotticarum & in illo alterationum effectrices existere solent, quo in primis difficultas anhelos & respirationis ocyus oboriatur, cordis palpitatio & angustia pectoralis eximie intendatur, ac raucedo & tussis nonnunquam complicantur, quæ quidem pathemata pro majore vel minore menstruæ evacuationis successu gravius, vel mitius urgere, familiariter tamen sub solenni menstrua perodo maiorem acerbitatem exhibere solent. Cæterum uti generatim hic locus præ priori ad actualem excretionem inusitator & alienior existit; ita molimina talia ad illum directa eo majus periculum portendunt, quo diutius vel vehementius ibidem insistunt, dum in tali casu non æque rarum est, quod contumaces ejusmodi contentiones vel habitualem asthmaticum vel plane hepticum aut

aut phthisicum statum machinentur. Quamvis vero prædictæ duas regiones nimirum caput & pectus in juniori ætate adolescenti & juvenili solennissima motuum hæmagogicorum & hæmorrhagicorum diverticula existant, minus tamen ideo plenarie alia loca & viscera ab iisdem immunita sub tali tempore observantur, sed contingit utique, ut illi itidem etiam alia loca impetant, inter quæ potissimum ventriculus nominandus est, circa quem subinde molimina talia ab utero retrograda machinari quidem & jam supra indicatas afflictiones torsionum cardialgico-vomotoriarum sæpe excitare rarius vero intra prædictam periodum, nisi forsitan quandoque ex causæ eminentioris accidentali concursu, agere ad effectum hæmato emeticum pertinere solent, qui si qua semel insequatur, plerumq; eo nomine tanto ominosior & exitiosior est, quod facile in posterum continuet, consuetudinalis evadat, ægrius firmorem curationem admittat, promptius eadem etiam facta levi de causa recurrat & singulis his modis eximium præjudicium utero afferat, quale exemplum perquam notabile vomitus cruentus ultra annum menstruatim recurrentis in virgine juniore *Celeb. Stahlus in Diff. de motu tonico vitali & in Pathologia sua pag. 736 & 737. commemorat.* Cæterum iterato affirmo, actualem ejusmodi sanguineam excisionem uti in genere ita speciatim intra commemoratum ætatis terminum esse infrequentiorem aliis hæmorrhagiis e pectore vel naribus procedentibus idque tam ex antiquarum & recentiorum observationum, quam quotidiane experientiae concordi testimonio, utpote quæ singulæ comprobant, tales congettiones & contentiones longe sæpius in nudis stagnationibus & moliminibus subsistere imo adhuc facilius (quamvis & id non æque crebro eveniat) in convulsivas commotiones quam veras tales sanguinis elisiones erumpere. Perinde etiam magis rarioribus observationibus accenserimetur,

tur, quod non nulli auctores de scabie & sudore sanguineo ex mensium retentione ortis proferunt, dum in tali defectu uterinæ evacuationis multo solennius est, ut immunitio exundantium humorum per particularia loca potissimum hactenus indicata queratur quam ita diffuso modo & motu peragatur.

§. XII.

Præmissa sic triga temperamentorum restat adhuc quartum nimirum *Cholericum*, cuius quantacunque aptitudo tam a priori juxta corporalem dispositionem (ob humores fluxiles, motum fortiorum & vias patentiores) & a posteriori promptitudine ad haemorrhagias instituendas apparet, dispar tamen habilitas multoties ipso effectu in eorum instructione & moderatione animadvertisit, quo minus illæ ita libere & legitimate, quam deberent, succedant sed pariter anomalico suo decursu insigne turbas & repentinæ noxas afferant, idque non tam principaliter ex corporalis habitus vitiis, quam magis animi vehementioris præcipitis, impatientis, iracundi & motuum immorigeræ tali indoli conformiter instructorum culpa. Declarat vero potissimum culposum talem genium frequenter & nocenter circa menstruum negotium, cui adeo infensum saepius deprehenditur, ut in genere illud sexui sequiori hoc nomine magis ominosum confeatur quam virili, cum, ubi semel insolescere incipit in illo, quasi commune reliquorum temperamentorum flagellum & flagellum existat. Interim hoc temperamentum, quod jam perlustrare inchoavi, maximam convenientiam tam quoad motuum congestiorum indolem, quam quoad humorum constitutionem generaliter fovet cum precedente, licet utriusque intuitu cholericum specialius consideratum & fluidorum tenuiore consistentia & impulsus majore ac constantiore vigore & rigore quosdam differentes respectus involvat. Quare,

ne

ne præsentem tractationem in superfluam & odiosam prolixitatem diffundam, non æque placet, singulos illos affectus, quos juxta prædictam motuum translatoriorum & humorum analogiam substrata nostra constitutio cum præcedente communes habet, denuo recensere, sed tantummodo peculiares quasdam circumstantias, quibus in menstrualibus motibus & morbis ab hac posteriori quadantennus diversa deprehenditur, indicare: Ita *primo* mox illa animadversio occurrit, quod nostro temperamento adhuc minus quam sanguineo solenne sit, ut diuturnas morbidas anomalias ante primam menstrui fluxus eluctationem exhibeat, nisi forsitan ad illarum tribum referendæ videantur vel illis accenseri mereantur narium hæmorrhagie largiores in quibusdam sub appropinquante mensium initiantum seu instantium termino admodum insolecentes de quibus paßim apud auctores observationes, prostant & mihi ipsi notabile exemplum constat ex personæ, cui obtigit more propriis auribus exceptum, quæ de se ipsa coram medico, me præsente, assèverabat, ipsi circa commemoratam periodum perquam copiosas sanguinis evacuationes e naribus accidisse & quidem ultima vice adeo enormes, ut sanguinis uno die successive evacuati quantitas tres mensuras hic loci usitatas tantum non ex assè adimpleret, has vero profusiones, adjiciebat prædicta persona, (quæ junior sc̄mina erat temperamenti cholericо-sanguinei) illico emanuisse, cum medicus pharmaca adhibere & sanguis per uterus fese ventilare inciperet. *Secundo* sub ipsis fluxus ortu & successu irregulari parilis quidem motuum ferocia imo adhuc major in cholericо temperamento quam in sanguineo, longe autem minor quam in hoc proclivitas ad lipothymicas defctiones deprehenditur, nisi forte quandoque ex largioribus sanguinis profusionibus id contingat, quæ vero sub initium menstruæ eruptionis longe rariores ad minimum ex utero quam parciores evacuationes vulgo annotantur.

licet

licet tertio non negandum sit, quod utique nostrum temperamentum, de quo in hoc paragrapho loquor, non saltem præ sanguineo sed etiam præceteris sub reliquo mensium stadio & tempore ad excessus hæmorrhagicos non modo ex utero sed etiam ex aliis solennioribus excretoriis locis (è capite, pulmonibus, ventriculo) committendos majorem & inclinationem & dispositionem foveat, uti quoque quarto generaliter id de temperamento isto monendum, quod sub eluctationis aut evacuationis denegatione vicinitatem illius loci, ex quo illa urgebatur, eo acerbius & citius plectere & præfertim ad affectus illos rigorosos (quos jam in sanguineo recensui) arthriticos, inflammatorios, spastico - convulsivos, hypochondriaco - hystericos accelerandos & exasperandos plus quam ullum aliud conferre soleat.

§. XIII.

Ne vero quicquam, quod ad præcedentes spectat, sciens prætermittam, placet, antequam iisdem colophonem imponam, adhuc circa decantatum & jam ab Hippocrate annotatum consensum uteri cum mammis breviter mone-re, quod ille quidem minime plenarie experientia suffragio destituantur, longe tamen infrequentius fere in virginibus pubertatis terminum non ita pridem ingressis (nisi quod sub fororiatione mammarum non nullæ earum spasticas & strictorias sensationes vacillante mensium negotio in iisdem quandoque experiantur) quam in maritatis & lactantibus foemini declareret. Admodum enim raro exempla illa, quod virgines ex talibus mensium vitiis inflammatorios, nodosos aut cancrolosos affectus retulerint, occur-runt.

§. XIV.

Absoluta hac ratione prima parte nostræ tractationis, transcendendum quidem nunc est juxta tripartitum ejusdem ordinem ad secundam, nimirum ad errorum, qui in

in talibus morbidis affectibus tam circa ipsum menstruum negotium, quam etiam pathemata ex eodem provenientia in praxi committi solent indagationem & indicationem. Verum, cum ad hujus negotii faciliorem evolutionem & perceptionem multum conferat notitia causarum, quæ proximus & eminentius tam ad difficilem mensum eluctationem quam ad morbos ex eodem provenientes contribuunt, placet pauxillum divertere & hanc doctrinam brevibus prelibare. Quod itaque prius nimirum difficultatem initialis menstruæ perruptionis & eruptionis attinet, accuso & allego tanquam principalem & communem quasi causam arctiorem vasorum uterinorum, per quæ sanguis menstruus meare & exire debet, capacitatem in virgunculis junioribus ordinarie multo arctiorem quam in adultioribus & jam puerperia perpetuis, hujus vero arctitudinis intuitu facile dijudicatu est, pro parallelis eminentibus causis haberi posse & debere spissorem humorum consistentiam ejusdemque nimiam quantitatem nec non motus nimium & impulsum & languorem, cum singuli isti respectus minus indicatae proportioni tubulorum & liberæ humorum circulationi & expressioni per eosdem perpetrandæ quadrent. Qualem quidem rationem a me indicatam num jam Hippocrates cognitam habuerit & notorio illo eloquio: *quod ei, quæ non peperit, cum corpus non affuetum habeat, menes labioriose prodeant & affectus plures accidunt, indigitare voluerit aut potius debuerit, aliorum dijudicationi relinquo.* Interim, dum una ex parte causam primariam mensum laboriosius erumpentium & anomalice procedentium in corporali dispositione colloco, neutiquam ex altera nego, quod etiam originale vitium multoties in ipsis motibus eorumque perversa instruptione latitare possit. Quod vero posterius concernit, nimirum morbidos illos effectus, qui ex fontis hujus naturalis illegitima constitutione promanare solent, fundamentum illorum proprius ponendum esse cen-

E

seo

seo in humorum exundantium copia nudos vel infarctus & restagnationes vel insimul spasmoidicas motuum exacerbationes aut congestiones sanguinis in remotiora loca excitante & sic pro differentia partium & regionum, in quas decumbit vel restringitur, nec non pro vario motuum gradu, quo ibidem agitatur diversi nominis & sensationis multiplicis pathematibus occasionem subministrante.

§. XV.

His itaque recte intellectis non potest non dilucescere, quam graviter illi circa instructionem menstrui negotii impingant, qui ad fluxum uterinum provocandum & promovendum illico citra ullam præmissam corporis præparationem pellentia & sanguinem vehementer exagitantia aut etiam aperientia nude hypothetice & saltem secundum certas circumstantias talia, magis adstricctorio effectu operantia (qualia sunt martialia) juvenculis propinant & sic per vias nondum patulas exitum moliuntur, cum experientia frequentius testetur, tali perversa methodo plane contrarios effectus majorum obstipationum, restagnationum, infarctuum & angustationum aut periculosiorem motuum exacerbationem vel incongruas per aliena loca eruptions sanguineas provocari. Præterea etiam non quidem æque ex præmissis, quam ex eo, quod plethora induxitato præcipua materialis causa uterinæ purgationis existat, clarus fit error illorum, qui contra ordinem & citra ullum conamen naturæ in defectu sanguinis & virium (qualis e.g. ex prægressis morbis, diuturna inedia, largioribus hæmorrhagijs contrahi potest) evacuationem menstruam urgent & ita sanguinis, cuius potius restaurationi intenti esse debuissent, depauperatione ulteriori corpus eo magis enervant & non raro penitus in affectus atrophicos, hecticos vel cedematosos conjiciunt. Sunt autem hi saltem solemnissimi modi & methodi, quibus proprius & qua-

si

Si directe in negotium menstrualum præsertim noviter
instaurandum delinqui solet, sed longe plures parilis
notæ occurunt practicæ hallucinationes, quæ in illius
præjudicium & damnum per incongruas medicationes
menstrualium morborum paulo remotius & magis in-
directe vulgo commituntur, quarum aliquot comme-
morandi occasionem habebo in mox subjungenda ex-
plicatione errorum præcipuorum, qui ob insufficientem
menstrui negotii cognitionem & negligentiorem ejusdem
collationem in affectibus ex tali fonte promanantibus fre-
quentius perpetrantur. Quam quidem considerationem
modo indicatam, dum jam suscipere intendo, prævie be-
nevolum lectorum recordationis admoneo circa illud, quod
sub fine præcedentis parraphi de istorum morborum ma-
teriali & formalí causa dictum est, cum exinde satis clare,
uti arbitror, nexus pathologicus ac respectus generales ve-
riores practici in commemorationis affectibus innotescere &
per consequens etiam aliorum ab illis aberrationes faci-
le cognosci & dijudicari possit. Sed enim juxta cynosu-
ram fundamenti illius a me constituti nemini non hoc tan-
tillum recte percipienti manifestus fieri potest & debet
error.

Primo eorum, qui varios affectus & dolores capitis
unice ab ejusmodi menstrualibus congestionibus depen-
dentes nudis vel externis sopientibus, refrigerantibus, spi-
rituosis &c. vel internis cephalicis specificis remediis cu-
rare & expugnare suscipiunt, cum & ratio dicitet & con-
stans experientia confirmet, hæc omnia ita esse comparata,
quo non tam ipsi cause afferendæ vel emendandæ satis-
faciant, quam magis saltem illius effectibus, seu, si mavis,
motibus eam in sequentibus quadantenus cohibendis, sup-
primendis, alterandis vel in vicina loca divertendis, in ge-
nere vero plerumque plus pervertendis & deteriorandis
subserviant.

Secundo eorum, qui in pectoralibus afflictionibus respirationem vitiantibus & tussiculosis parem cum præcedentibus pathematibus originem & causam habentibus becchica vel expectorantia remedia præscribunt, dum iterum tam ex rationis rectæ quam observationis sedulæ amicabili suffragio constat, talem curationem horum affectuum fundamento & emendationi adeo non esse accommodatam, ut potius plane contraria ratione iisdem non tantum sustentandis, sed etiam perniciiosis illis effectibus asthmaticis & hecticis inducendis, quos tales medici præcavere deberent, imo etiam tempestiva congrua medicatione possent, existat aptissima.

Tertio illorum, qui in cardialgico-vomibundis ventriculi commotionibus, contentionibus ejusmodi hemagogicis insistentibus vulgaria stomachica calida, acria seu quæcunque alia hujus census remedia aut plane emetica adhibent, nec non qui in torminosis reliqui abdominis doloribus simili ex causa provenientibus acria purgantia vel topica suadent, cum itidem singula ista minus cause peccantis expugnationi aut motibus meliorandis quam potius his exacerbandis vel suppressandis utralibet vero ratione longe pejoribus effectibus excitandis quadrent.

Quarto illorum, qui in particularibus ejusmodi affectionibus congestorio-restagnatorio vel restagnatorio-congestorio menstrualibus magis ignobiliores corporis partes & periphericas occupantibus inflammatoris, œdematosis, seu sub alio quoconque schemate apparentibus mere extera applicant, nec simul ad internæ primariæ causæ emendationem respiciunt. Operantur enim incassum, imo saepius etiam in detrimentum patientis, ut superficialibus suis adminiculis vel plane nullum aut saltem temporarium salutarem effectum obtineant, vel incongrua repulsione versus interiora damna periculosiora excitent. Nolo autem plura

plura hujus generis sphaimata practica, quæ in similiūm menstrualium morborum curationibus occurrunt & ex le-
viori uterinæ purgationis aestimatione originem trahunt,
recensere, licet adhuc tanta eorum copia supersit, ut facile
illa sola integræ disputationi satis fæcundam materiam sup-
pedicarē possint, sed placet tantummodo in supplemen-
tum & majorem hujus rei dilucidationem commendare
*Diss. Illustris Stahlī de erroribus medicinæ practicæ & Excell.
Hoffmanni de imprudenti medicatione multorum morborum
causa.*

§. XVI.

Quemadmodum autem vulgo non tantæ artis habe-
tur & revera minoris utilitatis existit nuda errorum indi-
catio & detectio, quam subjuncta eorum emendatio, ita
juxta hanc considerationem nunc quasi manuducor & in-
citor ad tertiae partis & quidem in præsenti negotio ulti-
mæ susceptionem, in qua promisso modo circa talem me-
thodum indicandam occupatus ero, qua tot mala ex talibus
mensium recentium anomalias metuenda facilius præ-
caveri, & jam præsentia felicius, tutius & magis funda-
mentaliter curari ac ita multa damna vel naturæ vel incon-
gruarum medicationum culpa inducta & augmentata tem-
pestivo interventu meliorari possint. Respiciam vero u-
nique in hac hodegia ad fontis & fundi, ex quo præcipue
tot morborum cohors exsurgit, nimirum ad negotii men-
strui legitimam instructionem & medicam directionem, o-
missa reliqua singularium affectuum ex eodem provenien-
tiūm speciali therapia, cum huic tractationi condigne in-
stituendæ angustia paginarum Dissertationi destinatarum
vix ac ne vix quidem esset suffectura. Quo itaque saltem
præfixi instituti rationem decenti ordine absolvam, erunt
primo explicanda media & prefidia indicato fini facilioris
mensium eruptionis & successus obtinendo idonea, quæ
partiri placet in duas classes, nimirum primo *in privativa,*

quæ consistunt in omissione & evitazione illarum rerum quæ ad illa vitia §. XIV. sub causarum nomine recensita vel inducenda vel augenda quicquam contribuere possunt, & passim ab auctioribus medicis (e. g. ab Ill. Stablio in *pathologia* pag. 1083. & seqq. ejusdem *Diff. de mensum muliebrium fluxu fl. n. & suppressione fl. n.* paragr. 26. 27. & 28. a B. Wedelio in *Diff. de mensum suppressione* a pag. 16-20. nec non a D. D. Junckero in *Tab. Theoretico-Practicis Tab. XV. de suppressione mensum*) specialius & nominetenus exponuntur, ad quarum censem largiorem & simul saturatiorem potum Coffee, ad cuius usum imo verius dixerim abusum plerisque honoratoris conditionis virgunculæ ferme jam a teneris adducuntur in nostris regionibus, merito etiam referendum esse existimo, secundo *in positiva*, quæ requirunt actualem congruam admissionem & applicationem oppositorum seu eorum, quæ convenienti adaptationi viarum uterinarum, humorum & motus, tanquam mediis ad menstruum negotium necessariis ulla tenus velificantur, quo nomine non frusta ab expertis practicis præter potum dilutiorem sufficientem & motum corporis fœdulum infessus, pediluvia nec non subjunctum usum lenium laxantium vel ex mediis salibus vel ex mitioribus Gummatis & refracta aloes dosi concinnatorum commendari, quisquam facile perspiciet, qui intelligit, hæc omnia modo indicatis requisitis videlicet partim humorum dilutioni & viarum relaxationi & aperitioni, partim motuum ad uterina loca invitationi egrie obstetricari.

§. XVII.

Interim dum maxima hominum pars pro communi ferme sui generis securiore & negligenter indole vix unquam citius, quam vel jam præsente vel penitus invalescere sanitatis detrimento de medico & medicina cogitet & hanc incuriam potissimum etiam circa menstrui negotii instructionem frequentius obtestetur, necesse utique est, quo

quo artifex & in tali casu actu anomalizantium mensium seu ut loqui amant, curatricie salutarem opem præstare calleat. Quo quidem scopo etiam ante commemorata minus universum inutilia existunt sed saltē ob proportionem causarum eminentiorum imo etiam concurrentium pathematum diversam indolem non æque semper sufficiētia vel indiscretim applicabilia, ut inde utriusque circumstantiæ respectu partim efficaciora & plura remedia partim major peritia circa eorum adhibitionem requirantur. Ubi vero mox annotari necessarium duco, me, dum de efficacioribus & pluribus remediis loquor, unice respectum habere precedentium mediorum præservatoriorum, nec ita absolute crasso sensu fortia, præcōcem & simul validum effectum exertentia pharmaca vel speciosam eorum multitudinem aut copiosum & frequentiorem (præcipitatum) usum intelligere, dum satis superque mihi constat his singulis modis, uti in aliorum morborum curatione, ita speciatim in menstrui negotii potissimum vero recentioris medica directione effectum salutarem frequentius magis sufflaminari & in contrarium inverti, quam vere & legitime promoveri. Quin potius ipse commendō, ut ex tanta farragine remediorum, quæ in hac parte laudari solent, saltē mitiora probata, quam fieri possit, circumstātē feligantur & adhibeantur, cum primo eadem non saltē juxta rationis dictamen tutiora sed etiam secundum attentā observationis testimonium revera ipso usu longe præstantiora existant aliis potentioribus, quæ nec teneritudini ataris subjectorum, de quibus hic sermo est, nec ipsius menstrui negotii præfertim saltē inchoantis multo minus jam tum vacillantis sensibiliōri indoli quadrant. Secundo cum damna recenti mensium statui & ordini per inconvenientem medicationem illata non ita transitoria & emendatu facilia sed plerumque satis refractaria esse & sonatica fieri soleant.

§. XVIII.

Quando vero nunc in disquisitione & explicacione practica paulo specialius procedendum est, moneo statim circa mensium anomaliorum defectivorum emendationem, quod illorum quidem promotio primum in intentione medici, ultimum autem (sub intelligo quoad ipsum impulsu) in executione esse debeat, cui utique necesse est ut praemittantur, (sin alias illius legitimum successum & salutarem finem non tam bonae saltem fortunae committere & sub dubia spe expectare quam magis efficaciter allevare & adjuvare velit,) remedia, que quicquam faciunt ad emendationem & remotionem illorum offendiculorum, que partim medicationi partim ipsorum mensium facilitiori perruptioni ac emanationi praejudicium afferre possunt. Talia vero obstacula communiter constituant 1) segnities vel obstructio alvi, 2) primarum viarum imparitatibus obsessarum mala constitutio, 3) sanguinis nimia quantitas, 4) ejusdem depravata qualitas, 5) viarum uterinarum & 6) motus reliqua vita, que §. XIV. enumerari. Quod itaque parciorem catoterice evacuationis successum attinet, ad illius promotionem apprime conducit mollior & liquidior diæta, sub qua hoc nomine in primis simplicia dilutiora juscule & decocta avenacea vel hordeacea cum exacinatis passulis parata commenabilia existunt, si qua vero magis arrideat vel necessarium videatur in usum vocare pharmaceutica praedicta fini adaptata, commode exhiberi potest infusum calidum ex rhabarbaro, passulis & cremore tartari compositum vel quod praefstat, clyisma emolliens aliquoties applicari. Quibus efficaciter praemissis ad ulteriorem primarum viarum repugnationem pilula ex amaricantium herbarum extractis, Gummi ammoniaco & extr. panchym. Crollii confectæ admodum conducunt. Quando vero etiam quantitas sanguinis dijudicanda evenit, circumspectione omnino & discretione prudenti opus est, ut dispiciatur, num ille re vera

vera ipsa copia tam eminenter turget & urgeat, ut pro impedimento uterinæ reserationis & eidem promovendæ necessariae curationis juste reputari possit, an vero nudæ ejusdem commotiones turgefactoriæ & translatoriæ peccent & ita verius motus magis vitium subfit? dum in posteriori causa secura temperantia & sedativa (inter quæ in primis pulveres nitroso-cinnabarini it:ex Cascarilla parati, nec non de coctum flor. chamom. commendationem merentur) sola sufficere possunt, in priori vero actualis sanguinis ventilatio magis necessaria videtur, circa quam quidem utique diligenter ac major, quam vulgo adhiberi solet, observatio sequentium circumstantiarum requiritur, 1) ne illa ita indiscretim & præfestinate citra eminentiorem urgentem causam in junioribus ejusmodi puellis, potissimum quibus vel plane nondum, vel non ita pridem menses fluere inceperunt & adhuc sub fluctuante motuum typo irregulariter procedunt, suscipiantur, cum accurasier ob servatio omnino edocet, non esse frustraneum, quod periti practici de naturæ huic artificiali subsidio assuescendi promptitudine annotarunt 2) ne sola sanguinis immunitio ejusdemque usus juxta solennem multorum methodum eousque extendatur, quasi præparatorio scopo ita sufficiens generaliter existat cui innoxie imo commode pellentia mox substitui possent, sed ut etiam viarum & humorum ratio habeatur & prospicatur, quo illis si defectus animadvertisit, antea permeabilitas his autem fluiditas sufficiens concilietur, ubi circa priorem jam in præcedente §. indicavi, quod hoc nomine egregium usum præstent balnea & infessus, hinc hic tantum addo, quod ea ex aqua leviori & herbis uterinis confici ac versus illum terminum (ostiduo circiter ante) quo uterina evacuatio vel ad illam tendentia molimina *κατ' ξενοχόην* recursum habere solent, alternis diebus sub necessaria observatione illarum cautelarum, quas passim periti therapeuti de temperato aquarium calore & evitazione diuturnioris in illis commorationis inculcant, adhiberi possint,

F

quo-

quoad posteriorem vero indicationem, quæ humorum emanationem & fluidificationem concernit, iterum dispiciendum est, num saltem simplex eorum consistentia spissior an simul conjuncta depravata crasis peccet? illa sola præsente decocta theciformia ex speciebus selectis resolventibus e.g. hbb. veronicae, chærefolii, scordii, Capilli Veneris & anilostellato concinnata & paulo liberaliter ac largiter hausta satis esse possunt, hac vero concurrente paucis efficaciorum remediorum subsidio opus erit, quale certe non exiguum præstare solent vina medicata ex prædictis resolventibus, mitioribus antiscorbuticis & laxantibus speciebus confecta, quæ pro circumstantiarum (imprimis temperamentorum & concurrentium symptomatum) differentia & exigentia plus minus aqua simplici temperare & præmisso decocto bis per septimanam modica dosi (ad unciam unam & dimidiam vel uncias duas) interponere convenient.

§. XIX.

Præmissis itaque indicata ratione præmittendis præparatoriis remedii intercalari mensium tempore, tutius imo etiam cum majore efficacia circa propriorem eorum terminum per aliquot dies expeditandam eruptionem præcedentes propinari possunt secura & probatoria emmenagogæ, inter quæ quam eximiæ & eminentis virtutis existant genuinæ pilulæ Stahlianæ & Beccherianæ, omnes norunt, qui easdem unquam hoc scopo convenienti methodo usurparunt. Præter has etiam hoc nomine infusa ex speciebus emmenagogis mitioribus confectæ, nec non temperatæ essentia ex insidem parata, si moderate assumentur, non insimul utilitatis esse deprehenduntur, modo illa circumspectio adhibetur, ne sub motuum exacerbatione aut eorumdem adhuc præsente heteroclitio statu propinentur, in qua ultima circumstantia potius pediluvia, fomenta & clysteres leniter stimulantes conducunt. Ceterum uti motus & potus congrue & sufficienter adhibiti nimium quantum ad menstrui negotii facilitatem in st. n. conferunt, ita

vix

vix dici potest, quanta utriusque sit efficacia in ejusdem constitutione præternaturali, si illorum usus cum reliqua legitima cura sedulo conjugatur. Præterea adhuc circa matrimonium monendum, quod illud quidem, potissimum si per periis legitimis felicitetur, in ejusmodi menstrualibus ataxiis & morbis præcipue virginibus sæpe egregia medicina fiat; interita tamen utique prospiciendum, ne nimia & præmatura hujus subsidii commendatione ac affectione perniciosus abusus medici aut patientis culpa committatur.

§. XX.

Expositis ita, quæ ad defectiva mensium vitia eorumque emendationem spectant, necessarium quidem videri posset, quo nunc etiam illorum, quæ excessum involvunt, tractatio therapeutica subiungatur. Verum cum ista in illa mensium periodo, de qua proprie in Disputatione hac agitur, revera rarissime occurrant, non æque placet in ejusdem commendatione diffusa prolixitate uti, sed monuisse sufficiat, quod in nimii fluxus æstimatione & moderatione perinde singulari circumspecione opus sit, ne larga & liberalis excretio illico pro nociva & cohibitione aliqua indigente hæmorrhagia habeatur, deinde, ne, si qua talis contingat, loco convenientis contemporationis per fortiora adstringentia, incongrua sedativa vel coagulantia pharmaca oppositus effectus plenariae suppressionis curatu priori longe difficilioris imo frequentius symptomatum atrociam etiam ominoforis inducatur. Conf. superius citata *Stablia* na *Disputatio de erroribus med. præcl. & D.D. Præsidis Praxis universalis Cap. 5. de nimio mensium fluxu.*

§. XXI.

Pro colophone demum totius hujus tractationis occurrit adhuc annotanda animadversio scitu non tam quam observatu perdigna, quæ sedulam continuationem & repetitum usum indicatorum aut similium congruorum remediorum concernit atque commendat & per indirectum illorum præcipitantiam redarguit, qui medicamentum una vel

altera

altera vice usurpatum (imo verius dicendo saltem tentatum) si non prompto effectu expectationi examussum satisfaciat illi-
co seponant, pro inertis declarant aut plane subinde cum aliis
commutant, cum tamen experientia constanter comproberet,
abruptis & corruptis ejusmodi methodis solemnisime non
solum nihil sinceri & salutaris effectus obtineri, sed plane et
iam positiva damna per majorem motuum perturbationem
in menstruo negotio excitari. His considerationibus ac-
quiesco & laborem praesentem cum eo obsigno, cuius gra-
tiosissimis auspiciis illum vegete suscepi, non fastidiose con-
tinuavi & feliciter exantlavi, gratissimo animo hanc clemen-
tiam agnoscens ejusque ulterioreni assistentiam devotissime
mini exorans, sub qua nunquam meos conatus destituet
exoptatus successus & salutaris

F I N I S.

Versiculos pepigi quandam (reminicere quæso!)
complures variis commatis atque styli
Verum (vera cano) versus an letior ullos,
hos quam præsentes? FAUTOR AMANDE, latet.
Non opus est verbis, cum res satis ipsa loquatur,
tam TIBI res scilicet quam manifesta mihi.
Euge! meos plausus reliquorum plausibus addo,
votaque cuncta TIBI multiplicata precor.
Spem cape! non solus dat Justinianus honores.
Dat Galenus eos, datque Galenus opes.
At neque Galenus, neque Justinianus utrumque
det TIBI, sed Solus, qui FUIT, EST & ERIT!

Fridericus Leonhardus Deubnerus,
S. S. Theol. Stud.

Errata Typographica.

In proemio pag. i, lin. 10, legatur tunc pro tum p. 8, l. 8, effectum p. 10, l. penult.
scepius lin. ult, mecum p. 15. §. 8, l. 11, incommoda p. 17, l. 15, tam pro & p. 18, l. 2, q.
quorum pro qualis, 25, omnissum est vocabulum typus verbo sufficiens postponen-
dum, p. 20, l. 5, e contrario, p. 21, l. 24, molesta, p. 27, l. 22, dilucido, p. 28, l. 6, finiftrae
l. 28, periodo, p. 29, vomitoriarum, l. 1, 13, actualem ad effectum, p. 35, l. 19, posint,
Etenim, p. 40, l. 18, enumeravi. Reliqua BL, si qua occurrant, sibi temporis & pa-
ginae angustiam excusare & emendare non designabitur.

01 A 6515



ULB



36.

INITIO MENSUM INITIO MORBORUM,

AUSPICE DEO PROPITIO
Et Consensu atque Autoritate Gratissime Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R A E S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJEST. REG. BORUSSIAE AULICO ET CONSISTORII MAGDE-
BURG. CONSILIARIO, MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS
PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.
FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,
Domino Patrono, Preceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

P R O G R A D U D O C T O R I S ,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS
HORIS LOCOQUE CONVENTIS,
ANNO MDCCXXV. D. JUNI.

PUBLICAR AC PLACIDAE ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICET
AUCTOR ET RESPONDENS

SAMUEL GODOFREDUS SAHER,

MÜNCHBERGA-BARUTHINUS.

